

17

bus. Dimissa ut nonnulli uolunt in Histriam Noricumq; copiarum parte: Quæ hostem ab Italiae faucibus arceret. Venetiæ ciuitates consternatæ & ipse metu: euentum potius expectare: q̄ ut struerent inanis spei remedia. Ingressus iter Athila quacunq; it: rapit secum omnes in prædæ spem. Nonnulli tradunt uastatis prius prouinciis inter Danubium Adriaticumq; interiectis in Dalmatiam descendisse. Maritimasq; urbes Spaletum: Tragurium: Sebenicum: Iadderam: Signam: Polam: Tergestum ui captas drupuisse. Alii uero quibus magis accedo sustulisse omnes moras & recta contendisse. Iter enim a Buda urbe usq; Goritiam & planum est & apertum. Tametsi scriptum quidam reliquerint Maximum Tyrannum occiso in galliis gratiano: Hæc alpium claustra septuaginta aut circiter annos ante Athilæ aduentum firmissimis obsepisse munimentis: ut excluderet Italia Theodosium ex oriente in italiam properantem. Cæterum Theodosium simulasse mari traiecturum: Ea credita re Tyrannum saltibus illis munimentisq; desertis: nauibus imposuisse quicquid illi roboris adesset. Theodosiū assequutum quod sperabat ex diuerso terrestri agmine: Munimenta alpium præsiidiis nudata disiecisse: Hostem apud Aquileiam interfecisse. Hanc ego rem multorum scriptis cõfirmatam haud equidem omnino refellere ausim. Præsertim cum memoriæ quoq; sit traditum Theodoricum & Narsetem & Haistulphum & Desiderium Longobardos munire pluribus in locis alpium saltus conatos. Nihil tamen proficisse, Qui Alpini saltus semper patuerint maioribus irrumpentibus hostiū uiribus, Cæterum quid hisce de locis claustrisq; oculis accepimus: non uidetur prætermittendum. Nam cum imminente Turcorum aduentu in eã prouinciam legati profecti essemus ad eos præcipue saltus an obstrui possent diligentius contemplandos: Regionem omnem speculati: Ita reperiebamus. A Buda ex pannoniis ad italiam uadenti plura esse itinera. Cõmodissimum omnium inter Noricum & liburnos: Ut a Buda Sagabriam urbem pannonicam tendas: planissimum iter omne est & apertum passus circiter. cc. inter Sagabriam uero & Lubianam olim liburniam alpes mirum in modum submituntur. Humillimumq; & minime asperum iugum præstant non equis tantum: Sed carris etiam onustis. Eo in iugo diuortium est aquarum. Neq; ultra q̄ duobus tribus ue pass. millibus extenditur. Descensus est deinde collibus ubiq; mollioribus in planitiem ad modū equã & apertã. Inde Sagabriã uersus defluit Lubiana eiusdem nominis flumē: & in Sauū cadit. Hinc uero uipagus amnis in diuersum defluēs: uallē Goritiæ irrigat: & i Sotiū amnē haud pcul amari exoneratur. Hæc ois planities alibi latior ē. Alibi cõtractior. Nusq; tamē patet minus quinq; passuū millibus: ut ēt maxia armatorū multitudo nō tātū cõfusis ordibus: sed in acies quoq; cæpestres distributa: possit incedere. Oē igitur